


in imo vero materiam sine forma, intermedia vero omnia admixta demonstrantur ex forma & materia: hæc ille. In quo eius sermone percepi ego inventionem meam de pyramidibus formali & materiali mixtis, (qua usus sum sæpius in physica meæ Macro & Microcosmi historiae demonstratione,) non modo non fuisse vanam, verum etiam à probis authoribus strenue statuminatam. Quare si vobis placuerit figuram hanc sequentem acutis oculis intueri, videbitis pyramidem materialem sursum cælum versus suo cono petere, quousque eius conus pertingat ad naturam diuinam, in quam penetrare non permittitur, quippe quæ est omnis materiae expers, & vacua, & sibi ipsi vberim sufficiens: huius autem pyramidis materialis basis in centro est terræ, quod maxime à fonte lucido videtur distare. At vero vice versa Pyramidis formalis basis est cum Deo, & in Deo, eius vero conus ad basin vsque pyramidis materialis descendit. Considerare ergo potestis, quod vbi maior est pyramidis formalis proportio, ibi debilior, subtilior, & minor est pyramidis materialis portio, & è regione, in media vero interfectione vbi sc. ambæ pyramides se intersecant, ibi æqualem adesse diximus formæ & materiae portionem, quare sphaeram æqualitatis per eam transire affirmauimus, in qua Sol transire dicitur. Descriptio est talis.



Vidi